



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Concilia Provincialia Mediolanensis Sex**

**Borromeo, Carlo**

**Venetiis, 1602**

Cautiones adhibendæ nè pestis latius serpat. Cap. XIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

conique executi sunt, à se etiam omni caritatis studio, suscipiendas præstandasque facile intelligent.

Sed nè longè solum exempla petantur, domi etiam sunt, quorum documentis homines Ecclesiastici ordinis ad omne caritatis officiorum genus in pestifera labe exequendum instruantur.

Atque ij quidem sunt, Metropolitanæ Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopi duo, omni laude florentes, Benedictus, & Aspertus. Hic in teterrima peste, quæ suo tempore omnem Italiam, populumque Mediolanensem præcipuè inuaserat, pestilenti lue tabescentes perpetuo studio visitasse, eisque sacramenta omnia ministrasse fertur: idque ipsum officium, eius exemplo, & iussu Parochi etiam accuratè præstitisse dicuntur, ille omni Europa, Italia, & vrbe, ditioneque Mediolanensi præsertim pestilentia morbo vexata, atque afflictæ, cum ea ipsa officia præstitisset, tum cibum etiam, ac victum tabe languentibus manu sua ministrasse commemoratur.

4 Populus denique fidelis, Ecclesiasticorum hominum studijs, atque exemplis inflammatus, & eiusdem Dionysij præcipuis litteris communitus, non afflictione, quasi tabescens, sed immenso quodam caritatis Christianæ, benevolentiaque fraternæ ardore incensus, patriam non destituet, coniunctissimos non deferet, fidelium corpora insepulta non proiciet, neque cætera ager, quæ à deliberationis Christianæ officio aliena, olim gentes, à fidei religione auersas in pestilentia egisse iisdem Dionysij litteris, proditum est.

Immo is occasionem nactus sanctè exercendi officia caritatis, omnisque religiosæ virtutis talem se præstare studebit, quales in teterrima illa peste, quam ipsius item Dionysij litteræ narrant, extitisse dicuntur, qui minimè perterrefacti, postis morbo afflictos frequentissimè inuisebant, illis sedulò inuisebant, curationemque omnem ob Christi amorem pro viribus adhibebant.

Cautiones adhibendæ nè pestis latius serpat.  
Cap. XIII.

S V M M A R I V M.

- 1 Cautiones, quæ ab Episcopo adhibendæ nè pestis latius serpat.
- 2 Processionum usus, & ordo. 3.
- 4 Scholæ institutionis Christianæ, quo loco pestis tempore habenda. Officia Parochialia qua in Ecclesia gerenda, ubi Ecclesia Parochialis sit extrà septa.

Sanctissi-



- Sanctissimum etiam sacramentum ubi asseruandum.
- 6 Altare, ubi collocandum tempore pestis, & quando in eo celebrandū.
  - 7 Parochialibus extrā cancellos degentibus, quæ ecclesia statuenda, ut Missam audiant, & alijs officijs intersint.
  - 8 Sacerdos illis constituendus, & quorum sumptu.  
Quando etiam Parochus illis operam nauet: quæque alia ratio circa id ineunda.
  - 9 Cancelorum ratio, quæ adhibenda, ubi ab existentibus intrā, & extrā cancellos, Missa, concioque sit audienda.
  - 10 Aquæ benedictæ vas extrā cancellos collocandum.
  - 11 Oratorij, loco publico deputandi, ad Missam celebrandam, visitatio, & cautio.
  - 12 Oratorij in ipsis, quæ à Parocho denuncianda populo significanda. 13.
  - 14 Quæ ab eodem cum Syndicis agenda.
  - 15 Quæ item cum patribus familias.
  - 16 Quæ etiam cum populo. 18.
  - 17 Liber Parochialis peste mortuorum, & liberatorum.
  - 19 Magistratus officium, nè pestis latius serpat.
  - 20 Quarantena pestis tempore.
  - 22 In ea quid prouidendum.
  - 23 Illius ineunde ratio.  
Magistratus deliberatio de ea habenda. 21.



**V**bi pestis contagio aliquam, vel vrbis, vel Diœcesis partem inuadere cepit, eam diligentem cautionem Episcopus adhibebit, primū vt & in Parochis, & in omnibus Ecclesiastici ordinis hominibus, & vniuerso populo, pietatis Christianæ officia, studia, atque exercitationes, non solū aliqua ex parte non minuantur, & languescant;

sed quàm maximè fieri potest, diligenti sollicitudine augeantur, & sancto religionis zelo ardentius inflammentur. Denique hoc sedulo maximè cauebit, vt dum in eo excitandæ pietatis officio, ac studio versatur, dumque hoc enixè curat, vt celebritate summa, vniuersique populi conuentu, & religioso hominum cætu res omnis Christiana eo tempore perageretur; at huic necessario in primis studio adiungat etiā omnem sollicitudinem, & cautionem, nè pestilentia vis latius serpat, sed reprimatur, atque extinguatur.

2 Et quoniam sanctarum processionum vsus afflictissimo quoque tempore, & in pestilentia præsertim, grauissimoq; morbo ab Ecclesia Dei perpetuò adhibitus est; ideo Episcopus non solū imminente, vt nar-



raturum est, sed ingrauescente in dies peste, processiones, & supplicationes solenes toties instituet, atq; adeo peraget, quoties opus esse viderit.

Quo in processuum officio præstando, hoc studiosius inhaerebit, quod præter sanctissimorum patrū Basilij Episcopi, & Mamerti Vienneſis documenta, ex quibus eæ processiones, quàm viles ad omnem calamitatem propellendam, quàm salutare sint, facile intelligi potest, exemplis etiam vehementius inflammare debet, duorū sanctissimorū virorum Gregorij Magni, Pontificis, & Eutichij Constantinopolitani.

Hic ubi primùm processiones instituit, pestis vis rādiū extincta est, dum ille ex hac vita migravit. Ille verò Pontifice Pelagio, pestilentia mortuo, non modo non intermittendas, sed certo distincto fidelium ordine, ac solemni prece celebrandas illas censuit, nō repentina morte deterritus hominum, qui octuaginta cum illo in processione obierant. Ad quod sanè officium perpetuò retinendū, pièque excitandum, apud nos in primis valere debet, vel plurimū, hoc etiam præclarum, luculentumque exemplum, quod cum scilicet sexaginta ferè antè hæc tempora annis ciuitas Mediolanensis eo funesta pestis contagio varia, multiplicique strage diu affecta, atque afflictā, tandem nullo alio remedio sustentaretur, diuinitus liberata est, publicarum processuum, & triduarum supplicationum officijs, & ardentissimis pietatis, pœnitentiæq; studijs, atque operibus.

3 Et si, inquit Cyprianus martyr sanctissimus, plurimorum mens solida est, & anima deuota, quæ pestilentie impetu non mouetur, sed tãquam petra fortis, & stabilis turbidam, violentamque eius tempestatem frangit: tamen quia nonnulli, vel præ imbecillitate animi, vel præ dulcedine secularis vitæ, ac quadam quasi molliiie minùs stare fortiter, nec pectoris sui inuictum robur necessario tēpore præstare possunt: ideo ut ijs, qui in peste valde sibi cauendū putāt ad cautiones descendimus, quas mox infra demonstramus.

Id igitur Episcopus curabit, atq; efficiet, ut cum in omni Ecclesia, omniq; celebritate, tum in processuum homines nō cōserti, nō dēsi simul, & compressi inter se sint, sed ordine distincti, & aliquo intervallo separati, ut contagioni locus non detur.

Qua verò in Ecclesia pluries manè diebus singulis missæ sacrificiū celebrabit, hoc cauebit, ut nō eodē tēpore ad eandē Ecclesiā, cum præfertim perangusta est, populus conueniat, sed diuerso tempore tamen, nisi necessaria causa aliter postulet.

4 Scholæ præterea institutionis Christianæ, loco aperto, & amplo, utpote in cemeterio, foro, triuio, habebuntur; idem expēdire videtur, cum in orationis communis, aliorumque pietatis officiorum exercitatione, tum in concionibus aliquo modo.

Ecclesia



§ Ecclesia Parochialis, si extrà illa septa est, quibus hominū aliundē venientium, & viatorum peregrinorumuē aditus, & ingressus pestis temporibus præcludi, atq; obstrui solet; Parochus si intrà illa septa vel intrà oppidi lociue mania, Ecclesiam aliam idoneam, & domicilium propinquū vbi ipse habitat, intenerit, eo sanctissimum sacramentum & curæ Parochialis munus de Vicarij foranei consensu transferat, licebit. At si aliò iustis de causis minus expediret, ibi tamen ea Parochia lîa munera geret, ad quæ frequens populi concursus est, qualis est diebus festis Missæ Parochialis celebratio, prædicatio, vesperarum officium, & orationis communis, ac rei huiusmodi exercitatio. Id porrò omne, Episcopi iudicio, & voluntate statuatur.

6 Eiusdem iudicium erit, si quando pestis vel periculum, vel contagio aliquem locum vexare incipit, an propterea, vt populo locus amplius, & commodus detur, Altare extrà Ecclesiæ parietes, aut intra, sed in ipso ianuæ ingressu collocabitur, præsertim cum vel Sacerdos, qui celebrat, pestis nomine suspectus admodū sit, & Ecclesia perangusta fatis, vel cōtagio ad illius loci complures domos familia suè dimanarit.

Quod si Episcopus ità faciendū censuerit, tunc Vicarius foraneus, eiusdem concessū Missæ sacrificiū in Altari portatili, quod ob eas causas intus in Ecclesia propè ianuā collocabitur, aliquoties celebrare permittet, idque præsertim die festo, & in Ecclesia præsertim, quæ exigua, & angusta valde est pro ratione multitudinis, quæ confertissima eò ad Missæ sacrificium vno tempore conueniet. Cum verò Altaris portatilis facultatem dabit, eam cautionem præscribet, vt eo loco, & ità collocetur, vt ab omni uenti, temporis suè iniuria, ab omni que rei in decetis, atque offensionem præbentis, periculo tutum sit.

7 Parochialibus suis, qui quoniam extrà custodiæ fines, & cancello- rum septa habitant, suspicionem aliquando maiore præbent, cum nullus ad eos aditus uiatorū, peregrinorūuē p̄clusus sit, sed ualde apertus, at planè liber Ep̄i concessu, & auctoritate ità prospiciet, atq; consulet, vt in aliqua propinqua Ecclesia, sacellouè probato ad Missæ sacrificiū conueniant; vbi itidem sermonibus, stas denunciationibus, cohortationibus, scholis Christianæ institutionis, festo solèmniqu; officio vesperarum, processionibus, litanijs, orationi communi, & alijs pietatis Christianæ exercitationibus intersint.

8 Quam ob causam eis certum aliquem proprium Sacerdotem Diœcesanum constituet: cuius sustentationi succuretur eleemosynis, quas, vel ipsi, uel omnes illius Parochiæ homines ad eā conferent, aut certè alia inita eius sustentandi ratione, ut commodius fieri poterit. Sin hac via non succedet; hanc aliam aggredietur, ut, dum pestilentie suspicio, & periculum est, aliquem Sacerdotem Capellanum illius oppidi,

C 2 lociue,



lociue, qui idoneus ad Parochialia officia præstet, Episcopi concessa ad illos homines eo potissimum tempore mittet, quo tantum illius ministerio opus est. Si uerò complures Parochi sunt, unus aliquis eorum curæ causa illuc se conferet. Immo si vel unustantum Parochus, animarumque curator est, eam aliquando cogitatione atque labore suscipiet, ut ad Parochiales illos suos, cum per alias curæ occupationes licet, crebro proficiscatur, ut tum Missæ sacrificium celebret, sermonem habeat, & id generis officia omnibus uniuersè præstet, tum etiam speciatim singulis, quibus opus est, sacramenta ministret & alia adiumenta spiritualia præbeat, quæ à se inprimis præstari, suscepti officij Parochialis munus deposcit.

Sed demum si omni ea ratione, ac uia spiritualibus illorum necessitatibus non satis prospectum, consultumque esse potest, nullo tamen modo Vicarius foraneus, aut præfectus, aut Parochus patietur, Parochiales illos, qui uerè pestilentie morbo non laborant, nec uerò certis causis in suspitione contagij uerè sunt, Ecclesiæ Parochialis communis, aliarumque illius membra sunt, aut intrà eius fines posite, adiu, & ingressu excludi, atque adeò prohiberi, quo minus ibi missæ sacrificio, sacris concionibus, & ceteris Christiane pietatis actionibus uniuersè intersint, atque præterea unusquisque speciatim sacramenta ibidem, aliaque spiritualia adiumenta à Parocho sumat.

9 Eam quoque rationem Parochus Episcopi concessu inire poterit, ut si quando præsertim, qui extrà custodiæ septa habitant pauciores sunt, quàm illi, qui intrà eiusdem fines domicilium habent, aliqui cancelli, per quos missæ sacrificium inspicere possit, intus in Ecclesiâ Parochiali, si eius amplitudo hoc tulerit, alioquin in ipso vestibulo præfigantur, ut distincti, & separati inter se sint, qui intrà septa morantur, ab illis qui pauciores foris manent: atque hac quidem necessaria causa Parochus permittet eos Parochiales extrà Ecclesiæ ostium missæ sacrificium tunc spectare nullo decreto vel Prouinciali, vel Diocesano obstare.

Hæc ipsa cancellorum ratio, & uiatorum, & illorum etiam causa adhiberi poterit, qui alienæ curæ homines ad aliquam aliam Ecclesiam, Vicarij foranei iussu conuenient, quod licet fortasse locus, ubi habitant, ab omni contagione, suspitione uerè liber sit; tamen ubi Ecclesiâ Parochialis sita est, ad quam conuenire debent, locus pestilentie morbo laborat.

Cancellorum etiam sepimento eos quoque, Parochus separabit, quos ex aliena Parochia ad Missæ sacrificium, diuina officia, & concionem accedere animaduertit. Verum cum istis, ut maxime potest, admonitione omni aget, ut ad propriam eorum Ecclesiam Parochialem conueniant.

10 Iis, qui extrà præfixos in Ecclesiâ cancellos manent, aqua sancte uas præcipuum ab alio distinctum, ac separato loco collocatum, apparabitur.



rabitur. Quod extrâ Ecclesiam, dùm pestis suspicio est, ponatur licet, modo tamen à canibus, alijsque brutis animantibus, & omni rei indecentis periculo tutum sit, aut inde in Ecclesiam, locum uè tutum asportari possit, Missæ sacrificio, diuinisque officijs peractis.

11 Vbi vel vniuersus populus, vel magna pars eius, aut vniterfa vicinia ædium suarum exitu prohibetur, Missæ sacrificium in oratorijs, Altaribus uè, quæ iam parietibus exædificata sunt, quæ uè tunc ex asseribus in vicinia, foro, via publica, locum uè opportuniorem exstruentur, celebrari Episcopus permittet: qui locum, vbi illa struentur, cum primùm inspiciet, arbitraturque suo deliget, tùm cauebit sic extrui, vt suprâ cautum est, de omni periculo euitando.

Hanc porrò curam is, cum per alias occupationes non potest, in vrbe præfectis regionarijs, alijs uè, quos maluerit, & in Diœcesi vicarijs foraneis relinquet.

12 In ijs oratorijs, Altaribus uè, atque ad eò singulis vicinijs Parochus, prout opus erit, statas denunciationses dierum festorum, vigiliarum, matrimoniorum, & rerum aliarum, quas de more enunciare solet, promulgabit, atque edicet, edicium uè curabit.

13 Parochus quàm sapissimè Parochiales suos, etiam de Altari moneat quàm grauitè peccent, qui præ metu alicuius vel incommodi, vel detrimenti, aut alia causa pestiferam, contagiosamque labem, qua infecti sunt, occultè cælant, quamque exitiosum vite suæ detrimentum inferant, propterea quòd si ab initio curationi se darent, facilius morbum depellerent; ac rursus quàm vehementius alijs noceant, qui ob eam causam, quoniam illos non cauent, se facile contagione inficiunt: & Verò, quod maximè omnium interest, certo repentinæ mortis periculo sese ipsi offerunt, vt nè contritionem quidem, qua sua peccata doleant, animo concipiendi, nedum sanctissima sacramenta sumendi spacium, vel exiguum habeant.

14 Parochialis viciniæ, locum uè Decanis, vel Syndicis, Consulibus uè id curæ Episcopi nomine commendabit, vt diligenter, vigilantique studio singulorum morbum explorent, & si quem in contagionem incidisse compererint, quàm primùm se, & laicos, etiam eo nomine constitutos, certiores faciat, quibus, ex legibus magistratus sanitatis id denunciare debent.

15 Id ipsum patres familias monebit, vt hoc itidem de ijs ipsis singulis sedulo præstent, qui in sua familia, famulatu uè sunt.

16 Populo præterea suadebit, vt omnes, & singuli valetudinis publicæ zelum, studiumque suscipiant; ita vt si quis aliquem viciniæ suæ hominem, alium uè ex peste laborare certò scit, aut probabiliter suspicatur, rem omnem confestim, & sibi, & laicis illis à magistratu constitutis



denunciet. Ad quod sanè officium quò vehementius incitet, certis argumentis demonstrabit, quàm graues pœnas Deus ab ijs repositet, quorum negligentia, culpaque, tot, tamque acerba damna, & mala non modo illis peste tabescentibus, quorum morbum patefacere debeuerant; sed alijs etiam singulis, qui contagionem contraxerunt, & vniuersitati denique importata sint.

Aliam præterea rationem omnem idem Parochus adhibebit, vt de cuiusque morbo certior quàm primùm fiat.

Illud verò præter cetera populo significabit, sibi ab Episcopo illud præscriptum esse, vt si quem in Parochiali vicinia egré se habere senserit, illum statim iauisat: quò diligentius in tempore sanctissima sacramenta ministret, omneque aliud adiumentum, cum ad animæ salutem in primis, tum ad corporis etiam curationem conferat.

17 Certo libro omnes, & singulos Parochiales suos notabit, non modo eos, qui pestilentia, suspicioneuè laborarint, ac demùm liberati fuerint, vbicumque vel domi vel in locis publicè curationis degerint, sed illos etiam qui pestifera labe affecti, mortem obierint, vbicumque manserint.

18 Denique opportunè Episcopus, tantquam populi pater, vt multis rebus, quæ pestis tempore incommode, acerbèque de repente accidunt, paterna cura prospicere possit, per Parochos, & alios tum Ecclesiasticos homines, quos huic curæ præferat, tum per pios etiam laicos sibi nunciari, & significari curet, quæcumque Episcopalis officij sollicitudinem, operam, & studium requirunt.

19 Magistratus porrò, & Decuriones ad eas sollicitudines, quas maximas, prudenterque excogitatas in peste propulsanda ponunt, illam vnâ maximè omnium necessariam curâ adiungēt, vt primò pietatis opera, atque officia promouere studeant; tum illa summo perè caueāt, quæ pijs officijs, diuino cultui, sanctis caritatis Christianæ exercitationibus, & religiosis publicis orationibus, aliquo modo vel repugnant, vel certè obstant; cū hæc istius modi sint, quæ non imminuant, aut depellant, sed vehementius excitent, prouocent uè vim, impetumque pestilentie. Cōtrà verò illud certum, atque exploratum est, illam restingui frequentiorum operum vsu, religioso diuinæ caritatis cultu, & publicis supplicationibus. Hoc ex antiquis Christianæ religionis exemplis, quæ narrata sunt, planè declaratur.

Quamobrem hæc, præter cetera videbunt omni studio.

Vt in supplicationibus publicis frequentissimè sint.

Vt sanctarum, spiritualiumque exercitationum studia, atque officia, nè quidquàm impediant.

Vt nihil obstant, quominus ad Missæ sacrificium fideles conueniant,  
concio-



concionones adeant, processionibus publicis intersint, orationes item publicas obeant, & priuatim quoque precentur.

Nec præterea quidquam impedimenti afferant, quo minus funera, Ecclesiastico more ducantur, & sepulturæ locus sacer detur, eiusdemque item officium peragatur.

Nec verò prohibeant liberis parentes, rursusque parentibus liberos, & cognatis cognatos, cum vel pestilentia affecti sunt, vel contagionis nomine suspecti, inferuire: neque publicorum ministrorum suorum, aut eorum, qui oppidorum, vel vniuersitatum administrationi, curationique præstant, ministrationibus, aut perterrefactione patiantur illos ab ijs pietatis, caritatisque officijs auocari, abduci, abstrahiue.

Vt caueant, nè Parochos, animarumque curatores, & certos illos Sacerdotes, qui in publicis curationum locis ad sacramenta ministranda constituentur, aliosue Ecclesiastici ordinis homines vilo quouis modo, vel nomine, vel prætextu impediunt, quin, & sacramentorum administrationem, & debitas muneris Parochialis functiones, debitauè curæ officia, tum vniuersè, generatimque populo, tum speciatim singulis, contagione etiam affectis, suspectiue præstent.

Hoc item ab illis in Domino vehementer petimus.

Vt nè aditus, exituue oppidorum, pagorum, locorumue eosdem prohibeant, contra Ecclesiasticæ libertatis iura, & Episcopi præscripta, cui salutem, incolumitatemque populi, suæ curæ commissi, nõ minus sibi, quàm ipsis cordi esse persuasum habere debent. Quo in genere tanto grauius peccarent eo periculoso tempore, quo Ecclesiæ ministros hac, atque illuc cõfestim die, noctuque in singulas horas, vel in momenta potius ad salutem animarum procurandam accurrere magis necessarium est, quàm alios etiam publicos præfectos, curatoresue valetudinis corporum, quibus aditus, atque exitus in omnes partes dari, & patere solet.

Vt longè refugiant ab eo detestabili vsu, peste affectos, suspectosue, tamquam pro derelicto habitos, abiecta scilicet omni eorum cura, ab vrbe, municipio, oppidouè inhumanè exturbandi.

Vt ne in ijs ipsis è domicilio ad tuguriola abripiendis plus exquisitæ diligentie adhibeant, quàm pro caritatis Christianæ ratione adhiberi par est.

Vt nè in illis secludendis, domique custodiendis seuerius agant, quàm cum Christiana caritate conueniens est.

Vt denique in omni cautione non magis prudentiæ suæ, quàm diuino auxilio innitantur.

20. Cum verò ex Ecclesiasticis monumentis nusquam compertum sit, fidelem populum vnus ciuitatis, oppidiue, vniuersum, vniquam in pestilentia, vt contagionem euitaret, hoc commississe, vt diuturno admo-



dum tempore totus ab Ecclesiæ conuentu penitus abstineret, eiusque stationes planè desereret: immò verò contrà perspici possit, crebrius, ardentiorique diuinæ caritatis studio, quàm antea consueuerat, Ecclesias frequentare: ob eam causam Magistratus diligenter videbit, ut ne quarantena, quam dicunt, lege, illum vniuersum domo exire prohibeat, quò fiat, ut diutius, quàm religionis pietas postulet, officia prætermittat, quæ in Ecclesia Deo præstare debet. Nã ut silentio prætereantur difficultates, incommoda, detrimenta, damna, mala, quæ inde multa Reipublice gubernationi euenire possent, cauendum etiam maximè est, nè, cum populi multitudo sanctarum ceremoniarum, quæ oculorum aspectu cernuntur, vsu, & ritu, ad pietatis studium incendatur, si domi reclusa, aliquamdiù ad Ecclesiam non conueniat, magna ex parte religionis officia non modo in ea inculta sint, sed planè deflorescant. Qua quidem ex re longè grauior pernicies pertimescenda est, quam ex omni vel funestissima pestilentia.

21 Quare Magistratus de quarantena diligenter, accuratè, & piè in primis, etiam atque etiam videbit, matura deliberatione, & re omni cù Episcopo communicata, ut non minùs animarum pesti, quàm corporum contagioni, quæ infinitis partibus inferior est, rectè prospiciatur.

22 Quòd si aliquando indicetur, illud maximè præuidendum erit, nè in Aduentum, Quadragesimam, solemnitates Domini, sacraque alia tempora incidat, quibus pro sacrosancta diuinorum officiorum celebritate populi fidelis conuentus in Ecclesia, & frequens, & solemnissimè esse debet, ut solemnia sacra sunt, quæ ex spiritus sancti doctrina, religiosi cõrimonijs, diuinoque ritu celebrantur.

23 Ea præterea ratio ineunda erit, ut speciatim, potius, quàm vniuersè, & in summa instanti necessitate quarantena fiat; ità ut vel sæmiã solùm cum pueris, uel aliquando uiri, uel unius vicinie tantum, quæ grauius è suspitione laborat, homines certo illo temporis spatio, eoque nõ diuturniori domi se contineant.

### Cautio in Sacerdote ministrante. Cap. XV.

#### S V M M A R I V M.

- 1 Parochus. ¶ in suspitionem pestis incidens, quam adhibeat cautio-  
Sacerdos. ¶ nem.
- 2 Quæ item adhibenda cautio in audienda confessione, ministranda Eucharistia, & Sacramentis alijs in pestilentie suspitionem incidentibus. 3.
- 3 Sacerdotum plurium deputatio, ministeriorumque inter eos diuisio.  
Si